

Emendationes M. Tullii Ciceronis epistolarum. *)

Fam. 8, 11, 2: Cum de hostiis ageretur. Hic cum iam Ernestius recte scripsisset hostibus, propagaverunt errorem Orellius et Lipsiensis obliti Q. fr. 3, 2, 2 eandem Medicei corruptelam, qui ibi quoque in eadem re non hostium sed hostiarum praebet, se ut par erat sustulisse.

Fam. 8, 14, 3: Causam illam non homines odi. Hunc locum ut nondum satis emendatum iudicem Medicei auctoritate adducor qui praebet illam unde homines. Atque cum unde fam. 11, 14, 2 ortum sit ex valde, idem Att. 10, 1, 2 factum esse admodum sit probabile, vide ne ita legendum sit: causam illam valde, homines minus odi.

Fam. 10, 24, 3: Quanta sit aviditas hominum non sine causa †talis victoriae —. Erravi cum in priore harum emendationum parte scribendum proposui capitalis. Verum est fatalis, cf. fam. 15, 15, 2: illo quasi quodam fatali proelio facto, neque multum discrepat quod in eiusdem Planci epistolis fam. 10, 8, 3 legimus: funesta orbi terrarum victoria. **)

*) Pars prior harum emendationum vulgata est in programmate paedagogii Regii Putbusiensis a. 1855.

**) Ut oblata hac occasione nonnulla alia quae in priore harum emendat. parte minus recte disputavi corrigam, nec quas ad Att. 11, 25, 3 et 13, 27 proposui coniecturas amplius defendere sustineo et Att. 5, 11, 6 de notione vocis excusatio vereor ne calidius statuerim. De iis quae incerta esse dixi amplius quaerenti iam mihi apparuit, Att. 2, 14, 2 vulgatam interpunctionem mutandam non esse, plus etiam quam antea dubitationis creant Att. 4, 3, 5; 11, 8, 1.

Fam. 10, 33, 1: Tametsi tantam calamitatem rei publicae quam tardissime audire optandum est, sed illis qui prodesse nihil possunt neque mederi. Hic quid sibi velit vox sed non dispicio; intellectum haberent imprimis, praesertim vel simile quid; ad sententiae integritatem cum ne haec quidem requirantur, locum nullo negotio sanabimus voce illa quam male duplicatum est genuit (cf. Wesenbergii emend. p. 97) deleta. Idem sed non minus offendit Att. 9, 2, a, 3: tum ex re et ex tempore capiemus consilium, sed utemur tuo, ubi fortasse scribendum est id est utemur tuo, cf. Att. 7, 7, 7: assentior Cn. Pompeio, id est T. Pomponio.

Fam. 12, 1, 1: Deinde cum suspicari nos moliri. Nullo pacto verbum moliri sine significatione eius rei quam quis molitur ponere licuit vel Cicero vel cuius alii. Mendum adhuc opertum tollemus scribendo: cum suspicari res novas nos moliri.

Fam. 14, 4, 3: Si est spes nostri reditus, eam confirmes et rem adiuves; sin ut ego metuo transactum est, quoquo modo potes ad me venias. Potest quidem fieri, ut hic Cicero uxorem rem familiarem curare iusserit, sane facilius id intelligemus quam si cum Lambino non rem sed re legerimus; at quae inter utrumque enuntiatum si est spes et sin ut metuo aperta intercedit oppositio ad lectionem multo elegantiore ducit et Romae adiuves. Paulo post legitur illius misellae matrimonio et famae consulendum est. Quomodo matrimonio Tulliae consuli vel debuerit vel potuerit quidve matrimonii cum fama coniunctio sibi velit nescio. Pisonis Tulliae mariti paulo post mentio fit. Hic ubi statim de Terentiae quoque re familiari sermo est, aptissime legemus patrimonio; iam fama quanam intelligenda sit apparet, cf. Att. 16, 15, 5: me res familiaris movet; rem dico? immo vero existimat[i]o. De eadem Tullia Att. 11, 9, 3 legimus: istam miseram patre patrimonio fortuna omni spoliata relinquam, atque ibi quoque I matrimonio praebet.

Fam. 15, 16, 2: His autem spectris etiamsi oculi possent feriri, quod vel iis ipsa occurrunt, animus qui

possit non video. M praebet velis ipsa currunt, in quo latet: velis nolis ipsa accurrunt.

Fam. 16, 3, 2: Satis quotidie te videro si valebis. Ita codices. Ernestii coniecturam cito te videro recepit Lipsiensis. Veri inveniendi via non fefellit Orellium, cum sententia quidem nulla proposuit satis quo te die videro, legendum enim est: satis propinquo te die videro.

Fam. 15, 20, 2: Tu mi Treboni, quoniam ad amorem meum aliquantum olim discedens addidisti, quo tolerabilius feramus igniculum desiderii tui, crebris nos litteris appellato. Manutium secutus Wesenbergius scripsit aliquantulum, sed quod statim sequitur igniculum alio ducit. In olim latere videtur olei, non secus ac proxima epistola legitur cum incendisses cupiditatem meam.

Q. fr. 1, 3, 5: De quo scribunt ad me quidem multi multa et se sperare demonstrant, sed ego quid sperem non dispicio. Cum totius sententiae conformatio, tum vox dispicio, quam ad multa multorum illorum argumenta referri apparet, docent legendum esse sperent.

Att. 5, 3, 3: Beneventum cogitabam hodie. „De nostra continentia et diligentia esse satis.” — Faciemus satis. Ita Orellius. Hoc de XYZM. Scribendum est: Cogitabam hodie. Nostra continentia et diligentia sociis faciemus satis. Cf. fam. 15, 4, 1: qua aequitate et continentia tuerer socios, praeterea fam. 15, 1, 3; 5; 15, 4, 14; 15, 5, 1. Pertinet hic locus ex parte ad genus corruptelarum quod *διπτογραφία* continetur, quo vix aliud latius patet in his epistolis, quamquam pluribus etiam locis fraudi fuit editoribus. Att. 3, 15, 7: totam Italiam in me erectam ad me defendendum destitui frustra iam Ernestius secluserat in me. Att. 4, 2, 3 legitur de Clodio contionante nuntiat inani populo, sed ineptum inane nihil nisi male duplicatum nuntiat, quod ita esse probat etiam Medicei lectio nuntiant. Att. 9, 5, 3: Ex eo fortasse ea consilia nascentur aliaeque litterae. Scribendum est alia consilia. Littera e adhaesit ex fortasse, lia ut omitteretur

vox consilia effecit. Att. 10, 8, 8: haud sane mea multum interfuerit utrum factum an fiat videam an futurum esse multo ante viderim. Factum fiat videam pr. M. Correxerit Orellius qui quod Att. 9, 2 contulit prorsus caecutivit. Ibi sunt tria interrogationis membra, hic duo, quorum alterum bipartitum satis male illud quidem conformatum neque sententia apta. Hic quoque fiat ex factum originem duxit et redeundum est ad superiorum editorum scripturam utrum factum videam. Cf. Phil. 5, 7: non ante factum vidimus quam futurum quisquam est suspicatus? Att. 14, 7, 1: Is mihi de Mario et de re publica aliqua quaedam sane pessima. Scribendum videtur de re publica attulit quaedam.

Q. fr. 3, 1, 20: Annali pergratae tuae litterae fuerunt, quod et curares de se diligenter et tamen consilio severissimo iuuares. Quod recepit ex Orellii coniectura Lipsiensis se verissimo commendatur loco qui legitur Att. 9, 7, a, 1 verissimum tibi consilium dabitur. At displicet iuuares, quo recepto particula tamen non habet quo referatur. Mediceus praebet iuuares, in quo latere puto obiurgares.

Q. fr. 3, 2, 2: Cum Gabinus — bonus imperator noctu in urbem hostium plane inuasisset. Hic ut sermonis Tulliani elegantia reciperetur, plane mutandum est in plenam, quae voces etiam Att. 1, 16, 7 locum mutauerunt. Mox verbis homo undique actus cum a me maxime vulneraretur aliquantum venustatis accedit, si vulnerandi imagine servata scripserimus homo undique ictus.

De pet. cons. § 10: Nota sunt et ea tu saepius legito. Mirum quod ad ea potissimum quae nota sint legenda Quintus fratrem hortatur, cum praesertim paulo ante ne se ipsum quidem amplius de iis scripturum esse confirmauerit. Scribendum est legisti.

Att. 2, 5, 2: Ecqui consules parentur. Non id Cicero quaerit, num omnino consules in proximum annum parentur, ea de re dubitatio nulla erat, sed quinquam: utrum ut sequentia docent, Pompeius et Crassus an cum Gabinio Sulpi-

cius. Itaque scribendum est et qui, ut statim et num quae novae leges; et cuinam auguratus deferatur.

Att. 2, 17, 2: Hac quidem cura certe iam vacuum est. Ciceronem ita dixisse: aliqua re mihi vacuum est pro aliqua re solutus sum cum per se haud probabile est tum repugnat Medicei auctoritas qui praebet vacuus est. Scripsit Cicero: Hac quidem cura certe iam animus vacuus est. Cf. Q. fr. 3, 4, 4: opera quae non modo tempus sed etiam animum ab omni cura vacuum desiderat. Quam facile animus obliterari potuerit nemo non videt.

Att. 3, 7, 1: Quod me rogas et hortaris ut apud te in Epiro sim, voluntas tua mihi valde grata est et minime nova; sed ut consilium mihi quidem optatum, si liceret tibi omne tempus consumere, odi enim celebritatem — esset mihi ista solitudo non amara — sic itineris causa primum est devium. Afferenda fuit tota periodus, ut intelligatur quam parum apte haec decurrant. M praebet sed consilium, deinde sed itineris. Itaque videtur oratione post nova maiore interpunctione incisa legendum esse esset consilium, deinde sed itineris.

Att. 3, 7, 3: Quem quidem ego nec quomodo visurus nec ubi dimissurus sim scio. Nec omnino de loco ubi frater vel videndus vel dimittendus erat hic dicit scriptor (eam dubitationem paullo ante significavit) nec si id vellet particula ubi praegresso quomodo ponenda erat, quasi, si semel congressi essent fratres, digressus ubi futurus esset dubitari licuisset. Propagatum est ubi negligentia editorum; praebet eam vocem corrector Medicei, at prima manus habet modo, quod satis ostendit hic quoque legendum esse quomodo. quantum e digressu potissimum fratris luctum praevideret significavit scriptor Att. 3, 9, 1 et Q. fr. 1, 3, 5.

Att. 7, 7, 1: Illud †putato non adscribis: et tibi gratias egit. Dionysii Ciceronis servi laudem multis verbis praedicavit Atticus, cui ille domini litteras reddiderat. Unum

non adscripsit, quod Cicero vel maxime expectaverat quodque ei pluris erat quam illa omnia. Quaeritur de *putato*, quod cum Orellius in illo *purgato* mutandum esse censuit prorsus somniavit. *Purgatur* qui criminis insimulatus est, at Dionysio ipse Cicero Att. 7, 4, 1 praeclarum testimonium dederat. Divinatione hic opus est neque habeo quo coniecturam quam proponam defendam, si non sua se probabilitate commendabit. Scribendum est: Illud quod caput erat non adscribis. Cf. Att. 13, 21, 7: Quod caput est ipsum non novi.

Att. 7, 13, 2: Itaque nec praesidium cuius parandi causa ad urbem retentus est nec locum ac sedem praesidii ullam video. "Exagitat scriptor Pompeium propter fugae turpitudinem omniumque rerum desperationem. Hic primum ipsa verborum structura cuius parandi causa retentus est habet quo offendat, dicendum erat cuius comparatione vel simile quid. Gravior dubitatio aliunde exoritur. Nec enim scimus omnino ad urbem commoratum esse Pompeium, nec hic eius rei commemoratio apta, ubi fuga perturbatissima ei crimini datur. Immo id ipsum quod fugae ansam praebuit, ut praesidium pararet, eum assecutum non esse conquerendum erat. Quod ut scriptoris verbis significetur ita mutanda sunt: cuius parandi causa ab urbe profectus est. Idem fere dicit Att. 8, 11, 2: Nec vero ille urbem quod eam tueri non posset reliquit, sed hoc a primo cogitavit exercitus conficere maximos. Corruptela nata est cum voce retentis quae paullo post legitur, tum litterarum c et n facili mutatione. Cuius mutationis exemplum cum iam in priore huius disputationis parte Att. 9, 26, 3 se obtulerit, duo alia latent adhuc, alterum Att. 7, 22, 2: † Recte sit censeo cedendum de oppidis his, ubi quae statim sequuntur Terentiam habebis Idibus (cf. in ep. proxima § 2: mutavi consilium de mulieribus quas ut scripseram ad te Romam remittebam) suadent ut legatur: Terentia sibi censet cedendum. Alterum exstat or. pro Sestio § 24: id autem foedus meo sanguine ictum sanciri posse dicebant. Ubi ut ferri

possit ictum pro si ictum esset, cum sententia perversa est, quae requirit non sanciri posse sed sanciendum esse, tum vocis ictum nec collocatio placet et supervacanea est, cum de foedere facto iam dictum sit. Omnis difficultas tolletur, si ictum mutabimus in tantum. Quod in eadem epistola Att. 7, 13 paullo post legitur huic tradita urbs est nuda praesidiis, ostendit recte Att. 7, 17, 1 cum Mediceo scripsisse Ernestium, quem recentiores sequi noluerunt: nemo enim unquam tantum de urbanis praesidiis detraxit. In eadem epistola 17 mox omniaque et cumulate mutanda sunt in omniaque ei cumulate, ut fam. 11, 13, 3: Succlamatum est et frequenter a militibus Ventidianis in succlamatum est ei frequenter.

Att. 8, 3, 4: †In te cepi Capuam non quo munus illud defugerem, sed sic ne causam. Ita Y. cepit pr. M. sine causa M. Initium huius loci quomodo constituendum sit dubitari nequit. Nihil profici Orellii lectione lente cepi ostendunt iam quae statim sequuntur dixi me nihil suscepturum — itaque habui nihil omnino negotii, magis etiam ostendunt duo alii loci 8, 11, d, 5 cum a me Capuam reiciebam et 8, 12, 2: Capuam — accipere nolui, ex quibus sequitur hic unice verum esse nolui accipere Capuam. Plus difficultatis creant verba sed sic ne causam, in quibus miror editores acquievisse. Primum offendor voce sic, pro qua requiritur propterea; deinde ad causam ex antecedentibus sive accipiendi sive defugiendi notionem suppleveris, nulla efficitur sententia. Illud apparet requiri hic quo cur Cicero Capuam accipere noluerit significetur. Quod ipsum a scriptore significatum est duobus illis locis quos attulimus, ubi dicit se metuisse ne si Capuam tenere non potuisset optimatum causam prodidisse videretur. Quae cum ita sint, viam monstrantibus iis quae leguntur 12, 2, 2: Capuam accipere nolui non solum ignaviae dedecus sed etiam perfidiae suspicionem fugiens, hic ego audaci sane at necessaria ut opinor mutatione scribo: sed suspicionem cavebam. Lacera vocis suspicionem vestigia praebent sicne vel sine. Cavebam coeptam semel corruptelam facile sequebatur.

Att. 8, 12, 5: Quare nunc saltem ad illos calculos revertamur quos tum abieciimus, ut non solum gloriosis consiliis utamur, sed † in paullo salubribus. Locum desperatum attrectare si licet, legendum propono sed etiamsi turpicule, ut in simili re exstat Att. 4, 5, 1: subturpicula mihi videbatur esse *παλινοδία*, sed valeant recta vera honesta consilia. Eodem ducere videri potest quod R I et corr. M praebent etiam paullo.

Att. 9, 7, a, 1: Nos nisi id quod nostro iudicio Caesarem facere oportere existimamus, ut simul Romam venerit agat de reconciliatione gratiae suae et Pompeii, id eum facturum ex ipso cognovissemus, te hortari desineremus ut velles iis rebus interesse. Lectio vulgo recepta si vera est, Balbus et Oppius Ciceroni ut Romam ad pacem reconciliandam redeat propterea suadent, quod ne Caesari quidem pace quicquam antiquius esse ex ipso cognoverunt. At tantum abest ut de hoc Caesaris consilio iis persuasum sit, ut paullo post scribant: sed cum etiamnum quid facturum Caesar sit magis opinari quam scire possimus, non possumus nisi hoc, et: nos ad Caesarem scribemus ut nos certiores faciat. Inde quod hic propter Caesaris consilii ignorationem aliquid certi suadere se posse negant, efficitur duobus enuntiatis contrarie relatis quae antecedunt nihil aliud dici posse nisi quod consilium daturi essent, si vel bellum vel pacem Caesarem cupere novissent. Ac de bello quidem paullo post dicitur, hic apparet particula nisi sententiam perverti, requiri si, quod ut corrumperetur ansam praebuit antecedens nos. Reliquum est ut te hortari desineremus emendetur. Cogitabam de non inserendo, cum vidi vocem desineremus a Mediceo omitti, accessisse demum in Asc. sec.; iam satis elucet scribendum esse te hortaremur, cuius vocis postremae litterae ut cum sequenti ut absorptae essent, latius corruptela progressa est.

Att. 9, 13, 7: Pompeio nunc putat satisfactum; beneficio Caesaris movetur; sed tamen movetur magis † prospectaret. Quod ad Att. 8, 12, 5 dixi de hoc quoque

loco praefandum est. Agitur de Lentulo qui Puteolis in hortis se occultans (Att. 9, 11, 1) incerto utrum Caesaris an Pompeii partes sequeretur distinebatur iudicio. Itaque nescio an in prospectaret lateat prospectu maritimo, ut facete quod de delectatione ex loci illius anoenitate percipienda valeret (cf. Att. 14, 13, 1: utrum magis tumulis prospectuque an ambulatione ἀλιτενεῖ delecter et fam. 7, 1, 1) ad desiderium Lentuli Pompeium maritima fuga sequendi transtulisse scriptor censendus sit, quemadmodum de se ipso dixit Att. 9, 10, 2: dies et noctes mare prospecto, evolare cupio.

Att. 10, 1, 4: aut nos temeritatem bonorum sequamur aut audaciam improborum insectemur. Nec vocis nos hic ulla necessitas et coniunctivi requirunt ex quo dependeant; scribendum est aut necesse est temeritatem, quo recepto sententia congruit cum iis quae antecedunt aut mihi libere inter malos πολιτενεῖον aut vel periculose cum bonis.

Att. 10, 3, a: Facile patior quod scribit secum Tullum et Servium questos esse. Wesenbergius cum Att. 9, 18, 2: Quid quod Servii filius, quod Titinii? quot in iis castris fuerunt, quibus Pompeius circumsideretur? vocem quot eliminandam esse rectissime iudicavit, illud quoque pro argumento attulit, quod praeter duos adolescentes Servium et Titinium haud multos Romanorum principum filios cum Caesare fuisse coniici liceat ex Att. 10, 3, a, ubi unus Volcatius Tullus adiiciatur. At de hoc ipso Volcatio valde dubitandum est. De Titinii adolescentis apud Caesarem mansionem dicitur Att. 9, 6, 6; 9, 9, 1; cum Servii filio coniungitur 9, 18, 2 et 9, 19, 2. Propterea iam mirum est 10, 3, a, 2 nullam eius mentionem fieri, Volcatium addi, de quo quattuor illis locis profundum silentium. Sed ne posse quidem Volcatii nomen recte se habere certissima ratiocinatione efficitur ex iis quae leguntur 9, 19, 2. Vide modo verba scriptoris: Etiam equidem senatus consulta facta quaedam iam puto, utinam in Volcatii sententiam. Sed quid refert? Est enim una sententia omnium. Sed crit immitissimus Servius qui filium misit ad affligendum Pompeium cum Pontio Titiniano. Hic Servium immitiorem

quam Volcatium futurum esse aperte conicit ex eo scriptor quod filium misit, non igitur si quid video misit Volcatius. Restat ut 10, 3, a, 2 emendetur. Ibi Mediceus ne praebet quidem Tullum, sed Tulium, in quo latet Titinium.

In epistola ad Att. 10, 4 foedissime corrupta, cuius aliquot menda in priore huius disputationis parte sustulisse mihi videor, restant leviora quaedam. Primum immerito § 9 verba ad senatum, quae iam Ernestius sustulit, a recentioribus rursus invecta esse quis semel monitus intelliget; deinde § 12: Tu Oppios Terentiae dabis. Iam enim urbis unum periculum est, ubi Moptimos praebet, legendum est: tu optimam spem Terentiae dabis (cf. Att. 13, 22, 5: sed id quidem in optima spe pono, pet. cons. § 32 in optima spe esse debebis, fam. 11, 13, 5: vos optimam spem habere volumus). Iam enim urbis nullum (quod Pius et Gronovius proposuerunt) periculum est; in iis quae statim sequuntur asterisco ante et cetera supersedere poterant editores. Sententiae integritas constat, modo pauca velut mecum communicates vel simile quid, quae sermo familiaris spernere solet, suppleveris.

Att. 10, 8, 5: Non simul cum Pompeio mare transierimus? omnino non potuimus. Silent editores de verbis non — transierimus, quae equidem frustra operam dedi ut intelligerem. Quid dici debuerit ostendit simillimus locus Att. 8, 12, 3: Nec vero haec extrema quisquam potest iure reprehendere quod mare non transierim. Id enim, etsi erat deliberatio omnis (ita verissime Orellius), tamen obire non potui. Quo loco collato nihil est apertius quam ante non simul excidisse nonnulla, quae si talia fere fuisse: nam si quis reprehenderit quod, non sine probabilitate conici licet, librarii oculos a nam si ad non simul aberravisse iudicandum erit.

Att. 11, 6, 3: Sed ingero praeterita. Vide quaeso igitur quae restant. Ingero corruptum esse cum Orello facile nobis persuadebimus. Coniecturam qua locum sanare sibi visus est Orellius: pergo praeterita, poterat illam quidem iis quae leguntur Att. 3, 15, 5: Sed pergo praeterita. Verum tamen ob hanc causam — firmare; sed ibi cur

praeterita commemorare pergat statim addit scriptor, hic ea quae sequuntur cur praeterita mittenda sint docent. Itaque scribendum esse videtur: sed non integra praeterita. Cf. si opus est Att. 4, 2, 6; 11, 15, 4; 9, 2, a.

Att. 10, 18, 1: Nam illa Hortensina omnia † fuere infantia. Ita fiet: homo nequissimus a Salvio liberto depravatus est. Sine causa verba fuere infantia a recentioribus editoribus temptata sunt. Dicit Hortensii promissa vana et simulata fuisse, quemadmodum Att. 4, 16, 9 de Lentulii eiusque subscriptorum praevaricatione: accusatorum incredibilis infantia et Q. fr. 3, 4, 1: nihil accusatore Lentulo subscriptoribusque eius est infantius. Contra haerendum erat in voce fiet, quae non dubito quin mutanda sit in fuit. Cf. Att. 12, 6, 2: Verum hoc fuit? et Att. 13, 10, 3: Nimirum id fuit: solvendo enim non erat.

Att. 11, 14, 3: HS XXX potuisse mirarer, nisi multa de Fufidianis praediis. Et † advideo tamen. In re incerta non tamen placet Orellii aveo. Cum Cicero tantam pecuniam redactam esse se miraturum esse dicat, nisi multa ex Fufidianis accedere persuasum haberet, in enuntiato quod particula tamen continetur contrarium potius quam quod Orellius voluit inesse necesse est, neque sine aliqua probabilitate scribemus: Et diffido tamen. Cf. in re simili Att. 12, 43, 2: De Othone diffido fortasse quia cupio.

Att. 12, 12, 1: Sed vercor ne minorem *τιμὴν* habere videatur *ἔκτροπος*. Ita Gronovius. *εκτροπιμος* Y. *εκτοπιμος* XZ. De fano Tulliae exstruendo agitur, cui in Arpinati quamvis ceteroqui aptissimo propter solitudinem patri gloriolam captanti locus parum honorificus fore videbatur. Iam primum qui recte cogitaverit facile intelliget, in corrupta voce Graeca non adiectivum sed substantivum latere. Id e lectione quam praebent XZ una littera addita eliciemus. Scribendum enim est *ἔκτοπισμός*.

Att. 12, 21, 1: Hoc quidem fecisset, etiamsi † Rario admonitus esset. Cum in Bruti quodam libro Atticus multa reprehendisset, cetera ille non curavit, unum

quod vitiosum esse res ipsa docuit, corrigi iussit. Amicum ita negligi aegre ferens Cicero scripsit: Hoc quidem fecisset, etiamsi a librario admonitus esset.

Att. 13, 20, 4: Quicquamne me putas curare † in toto quam ut ei ne desim? Id ago scilicet ut iudicia videar tenere. In hac Ciceronis de fama oratoria contemnenda disputatione cum recordor eorum quae leguntur Att. 2, 1, 2: quae nos scribimus adulescentulorum studiis excitati, et Att. 4, 2, 2 itaque oratio iuventuti nostrae deberi non puto, et praeterea praeclaræ Madvigii emendationis qua locum conclamatum or. pro Sestio § 14 sanavit, manum scriptoris restituisse mihi videor scribendo: Quicquamne me putas curare iuventutem quam ut ei ne desim?

Att. 13, 22, 4: Etenim coheredes; a quis sine te opprimi † militia est. Ita ZMR. malitia I. Scribendum est: a quis sine te opprimi molestum est.

Att. 13, 32, 3: Torquatus Romae est. Misi ut tibi daretur; Catulum et Lucillum ut opinor antea. His libris nova prooemia sunt addita, quibus eorum uterque laudatur. Eas † litteras volo habeas. Non placet quod Orellius proposuit: Eas δευτέρως (φροντίδας). Scripsisse Cicero videtur: Ea si lecturus es volo habeas.

Att. 15, 1, b, 2: Petivitque a me ut eam nec ambitiose corrigerem. Sudaverunt editores in voce nec explicanda; at Med. praebet ne ambitiose, in quo latet sine ambitione.

Att. 16, 14, 1: Nihil erat plane quod scriberem. Nam cum Puteolis essem, quotidie aliquid novi de Octaviano, multa etiam falsa de Antonio. Num falsa potissimum Ciceronem cum amico per litteras communicasse credemus? Immo legendum est salsa, cf. Att. 16, 12: negotia salsa.

Att. 13, 21, 3: De Critonio si quid † esset; certe ne de Metello et Balbino. Haec fortasse ita refingenda sunt: de Critonio si quid scies et certiora de Metello et Balbo minore.

Putbusii.

H. A. Koch.